

D E O D U C E !

MEDITATIO S. EPISTOLÆ

DOMINICÆ XX. POST TRINITATIS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textūs cum o-
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

In Regia Aboënsi Academia,

P R A E S I D E

ÆSCHILLO PETRÆO S. S. Theol. Doctore & Episcopo Aboensi.

Examini subjicit in Auditorio Majori horas solitariae

Ad diem

Anni 1657.

JOHANNES GEORGII ALANUS.

Lyra in hunc Locum.

*Pro malitia & miseria hominum, dicuntur dies mali, Quantum ad
spatia horarum, ordinati sunt, ducunt n. vices: agunt tempora,
oritur sol & occidit, transiunt tempora.*

Ambrosius.

*Non solum auditores prelatis, sed etiam prelati subditis, in charitate
eis serviendo, & humiliter curam gerendo, sibi invicem sub-
iecti sint.*

A B O Æ.

Imprimebat PETRUS HANSONIUS Acad, Typ.

V I R I S

Reverendis Clariß: Humanissimis & Doctissimis.

DN. GREGORI O ARCTOPOLITANO, Pastor in Björneborgh ejusdemq; districtus Præposito dignissimo, promotori quo-vis officij genere proseguendo.

DN. CLAVIDO C. ALANO, Pastor in Korpo meritissimo, patruo suo charissimo, benefactori perpetim colendo.

DN. ERICO L E THALENSI, Pastor in Letala vigilantissimo, amico ac benefactori ætatem colendo.

DN. SEVERINO M. Birchelmanno, Pastor in Messykhylä ejusdemq; contractus præposito, gravissimo, fautori honorando.

DN. ANDREÆ HENRICI, Pastor in Hammarlandh fidelissimo, affini suo syavissimo, fautori suo plurimum honorando.

DN. CAROLO PETRI ALANO, Pastor in Finström impigerissimo affini itidem perquam Charissimo.

Dominis fautoribus, promotoribus & benefactoribus suis multis nominibus suspiciendis: Huncce laborem sacrum, in debita gratitudinis Symbolum, obsequiose ac officiose dedicat & offert.

Johannes Georgij Alanus
Respondens.

MEDITATIO S. EPISTOLÆ,
DOMINICÆ XX POST TRI-
NITATIS.

In sanctæ & summe laudandæ Trinitatis, Patris, Filij
& Spiritus Sancti nomine.

Dopter iniquitatem avaritiae iratus sum,
Et percussi eum. Abscondi Et indignatus
sum. Et abiit vagus in via cordis sui.
Esa. 57. v. 17. Propheta Esaias his verbis
juxta Dei voluntatem & mandatum concionatur popu-
lo judaico de ira Dei adversus populum illum. Mox
etiam causam indicat suæ iræ adversus populum istum.
Causa autem hæc est: Illorum avaritia & injustitia, de-
inde etiam illorum pertinacia, quod nolint emendare
se, admonitiones concionatorum parvipendentes,
quasi alijs populis, non vero illis diceretur quicquam.
Hoc sæpius Prophetis, Apostolis, imò Christo ipsi acci-
derat, ut illorum conciones flocci haberentur ab audi-
toribus. Horribile est quod nec verbis concionatorum,
vel verberibus Politici Magistratus emendari quiverint.
Specialiter vero & præcipue hic reprehenditur avaritia,
quaæ alias multis in locis reprehenditur. Non subtilet
quoq; Deus, quid haec tenus factum à parte sua quod per-
cuserit eos, occultaverit se ab eis, & iratus fuerit eis.
Addit præterea etiam hanc causam desertionis populi
Dei, quod Deum nihil fecerint, ambulaverint in erro-
re juxta inventiones cordis eorum. Inde manifestum
est, unde ira Dei veniat in homines & poenæ graves

ac calamitates grassentur, ut inde quod homines ini-
justitiam exerceant in alios potentiores, in infirmiores,
& inferiores. Idcirco consultum est, ut omnes ambu-
lent sapienter, cogitantes quæ Dei sit bona voluntas
& quomodo ambulandum. Hujus etiam in textu jam
explicando admonemur.

Oremus a. Deum, ut hanc Epistolam ita meditari que-
amus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in au-
gmentum & incrementum doctrina & bonorum operum, in
spem & fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem, dicas
mus igitur: Pater noster. &c.

TEXTUS Ephes. 5. v. 15. ad 22.

IN præcentibus verbis hujus capituli Aposto-
lus admonet suos auditores Ephesios, ut ambulent in
charitate h.e. diligent serio se invicem, jubens ut intus
eantur exemplum Christi tradentis se ipsum pro nobis,
ideoneam hostiam & fragrantiam. Deinde dehortatur
eos a libidine & omni spurcitie & turpitudine, in verbis
& colloquijs. Iubet eos ambulare, ut decet filios lucis,
& fugere opera tenebrarum, quia nulla inde gloria sed
pudor & confusio. Excitat stertentes in peccatis, ut
furgant, & querant illuminationem a Christo. In hoc
textu eandem ferè admonitionem proponit, jubet n. eos
sapienter & candidè ambulare, addit hanc rationem
sua admonitionis, quod tempus sit malum. Prohibet
ebrietatem, mandat eos impleri Spiritu S. loqui invi-
cem ex Psalmis, hymnis & spiritualibus canticis, &
Deo gratias agere, & humiles esse in quotidiana con-
versatione. Admonemur omnium præceptorum De-
logi, ut juxta illa vivamus. Excitamus ad orandum:

San-

Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum,
fiat voluntas tua, ne nos inducas in temptationem, Sed
libera nos à malo.

P A R T E S

1. De generali Apostoli admonitione ad accuratam
vitam & conversationem in hoc mundo.

2. De speciali abdortatione ad sobrietatem, nec non
ad spiritualem latitiam.

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter &
simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus
Deus, pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat,
cunctaq; utiliter & fructuosè cedere faciat.

P R I M A P A R T E S

In qua meditamur:

I. Notam attentionis in tex-
tu Apostolico. Exorditur hunc textum suum
recitatum ab adhortatione ad attentionem, quomodo
studiosè executioni dent suam mox proponendam ad-
monitionem de ambulando sapienter & non insipienter
ac stultè. Videte igitur, inquit. Hoc est, hoc unum a-
gite & operam date, ut obsequamini in ijs quæ scribo,
non vento & aquæ inscribatis, ut sermonem aliquem
nullius momenti, velut anilem aliquam fabulam, non
est mea mens vos inanibus sermonibus onerare, scio
rationem reddendam de verbo quovis vano.

L. C. Auditorum est non modò attentè audire
salutaria monita, eaq; boni consulere, & cum gratis-
rum actione accipere, sed etiam pro viribus conari
facere juxta ea, quæ eis præscribuntur. Odio habet

Deus eos, dicunt & non faciunt, dicunt se bene facturos & non faciunt. Dixit filius cum pater jussit eum ire in vineam ad videndum quid ageretur, ibo pater, & tamen non ivit; dixit alteri filio, ut iret in vineam, & negavit primò se iturum, postea v. pœnitentia ductus, ivit. Laudatur filius, qui licet primò negasset, tamen re rectius meditata, in vineam se contulit. Variæ extant in scriptura admonitiones, ad accuratè attendendum ijs, quæ ex verbo Dei proferuntur. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Tepiditas illa auditorum, Deo non placet. Apoc. 3. v. 13. 14. 15. 16. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, sed qui facit voluntatem patris mei, intrabit in regnum cœlorum. Matth. 7. v. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

II. Vitæ nostræ denominatio-
nem. Vide, inquit Apostolus, quomodo accuratè ambulatis, non sicut insipientes, sed sicut sapientes. Vocabt Apostolus vitam nostram, hic ut alias sæpius, ambulationem & quidem crebram in motu ut plurimum consistentem, nonnulli interdum interveniente cessatione & requie. Deus ita alloquitur Abrahamum Gen. 17. v. 1. Qua loquendi forma Apostolus statum nostrum in hac vita egregiè depingit, quod simus instar peregrinorum pergentium ad suam patriam, cuius desiderio vehementius tanguntur, habentq; terminum sui itineris præscriptum. In hac vita & ambulatione dum tendimus de loco in locum, etiam ad sepulcrum tendimus, non cogitantes sive navigamus sive iter terrestre conficimus.

L. C. Locum demus admonitioni Syracidis cap. 7. v. 40. & cap. 14. v. 13. seqq. ad finem capitilis, non obliuiscamur illius Ecclesiast. 12. v. 9. IQ. 1. 7.

III. Accuratæ vitæ descriptio-

nem. Videte, inquit Apostolus, quomodo accuratè vivatis, non sicut insipientes, sed sicut sapientes, accommodantes vos temporis, nam tempus malum est, ideo non sitis imprudentes sed prudentes, quæ sit voluntas Domini. Distinguit his verbis Apostolus homines in duos cœtus: unum dicit esse sapientum & prudentium, qui observant tempora, & deprehendunt illa esse mala, h. e. illis temporibus vel horribilia grassari pœcata, vel graves pœnas, ut non raro in hoc mundo observamus vicissitudinem magnam, nihil esse sub sole stabile; si ergo tempus malum, si mala illa tempora præter solitum augentur, tanto cautius sapientes se gerunt, non illi vivunt male, sed vitam suam accuratè instituunt ad normam divinæ legis, dant operam ut etiam alios secum ad vivendum pœnè allicit, ut videntes illorum honestam conversationem & bona opera glorificant patrem cœlestem. Sapientes sunt & prudentes, qui studiosè ex lege Dei discunt, quæ sit Dei voluntas, quæ legis divinæ sententia, quid faciendum quid omittendum; Tales beatifici dicuntur Psal. i. per totum. Et hoc studium inquirendi quid sit Dei voluntas in omnibus negotijs, valdè commendatur Psal. 119. v. 105, ad 113 insipientes hic ab Apostolo nominantur illi, qui securè omnibus temporibus vivunt bonis & malis, non averti scire voluntatem Domini. Tales describuntur. Sap. 2. per totum.

L. C. i. Discenda cœlestis sapientia & quæ sit Domini voluntas, ut accuratè, sapienter & prudenter vivere in hoc mundo queamus, non simus sicut equus & mulus, qui freno regendi & ducendi quo Dominus vult

vult. Ad sapienter ambulandum hortatur Syrach, cap. 6. v. 23. seq. ad finem capit is.

L. C. 2. Est proh dolor magna multitudo insipientum in mundo, qui tamen sibi videntur sapientes, hi nequaquam in societatem nostram trahendi sunt, nisi velint se emendare & corrigere, abiicere vias priores pravas, & ad saniorem mentem redire, cum filio prodigo, ac dicere: peccavi in cœlum & coram te. Dehortatur Christus à securitate & imitatione multitudinis seductæ & præsertim Pseudo prophetarum. Matth. 7. v. 13. 14. 15.

L. C. 3. Habet quidem quisq; dies suam malitiam h. e. suam curam ac sollicitudinem, ut non opus sit coacecere multorum dierum futurorum curam ut monet Christus Matth. 6. interim cum majora incommoda gravantur quam pro solito, hæc cum vidimus, non contemnamus quæ vidimus vel audimus, sed studiose & serio nos Deo commendemus, omnibus etiam medijs honestis & licitis mala evadendi, utamur, ut monet Christus Matth. 24. Orate, inquit, ne fuga vestra fiat hyc me vel Sabbatho, qui in iudea sunt, fugiant in montes, qui in tecto est, non descendat ut sumat aliquid de domo sua, qui est in agro, non repetat vestes suas, interim simus bono animo, Deus novit suos à tentatione eripere. Servavit Lothum in incendio sodomitarum. Noachum in diluvio. Confer Psal. 91.

SECU NDA PAR S.

Prima pars fuit in generali Apostoli adhortatione ad consideratè vivendum: Altera pars est in adhortatione ad sobrietatem, & spirituali lætitiam,

In quâ meditamur:

I. Sensum verborum Apo-

stoli in adhortatione ad sobrietatem. Ne inebriemini vino, in quo vita inordinata. Hoc est, 1. ne bibatis vinum ad ebrietatem, ut ebrij reddamini. Quod nam effectum ebrietatis breviter indicat Apostolus, cum dicit inde existere vitam inordinatam, qua homines valdè longè deficiunt à via sobrij, ita ut dicere queamus de ebrio & ejus facto: Ebrius es, nec enim faceres hæc sobrius unquam. Ebrietas revelat arcana, temerariam secum habet audaciam, nudos & inermes ad præliandum incitat, verbera & plagas non sentiunt ebrij, ruunt in libidinem, in fornicationem, adulterium, contrahunt varios incurabiles morbos, quæ incommoda Salomon etiam rescenset, Prov. 23. v. 28. Negligunt officium Esa. 5. v. 11. ad v. 17. 2. Intelligit Apostolus quemvis liquorem inebriantem; nominat Apostolus vinum, potum liberalius sumptum inebriantem, ut historia Noachi & Lothi, nec non experientia quotidiana docet, ubi vinum bibitur naturale, sive domesticum sive exoticum sit. Erat etiam judaico populo usitatus factitius vehementer inducens ebrietatem, vocatur illos rum lingua Sechar, apud nos cerevisia est in usu, vinum præter exoticum, sublimatum, cuius naturam & efficaciam inebriandi nemo non novit; Prohibet itaq; Apostolus omnem potum fortē & inebriantem, non modicè sumptum. Aliás hortatur Apostolus Timotheum ut exiguo vino utatur ad pellendas curas & abigendas infirmitates corporis, ad quod præstandum præcipuam habet vim, illud naturale vinum & obtinet virtutem. Vinum lætitiat & panis confortat hominem.

Eximium utrumq; Dei donum vinum naturale, quod
in nostra patria emimus, valde est apud nos necessari-
um propter Sacramenti Altaris usum, cuius loco a-
lium potum substituere nequaquam licitum est, siqui-
dem Christus naturali vino in cænæ institutione usus,
vino quod ex genimine vitis ortum.

L. C. Ebrietatem cavendam sedulo, nove-
rimus, ita est prohibitio Apostoli: nolite ine-
briari. Non negat Apostolus edere & bibere,
sed vetat bibere ad ebrieratem. Et Medici do-
cent edendum citra saturitatem, bibendum ci-
tra ebrieratem. Ad hilaritatem bibere enim con-
ceditur, sed saepe fit ut neglectus hic modus, qui
in omnibus virtus est pulcherrima bibatur vi-
num ad mensuram sine mensura, & ex poculo
hilaritatis fiat poculum stultitiae & insaniæ. An-
tiquum Ebrietas in mundo vitium, & cum ma-
gno scandalo conjunctum, testantur historiæ
sacræ & prophanaæ. Et exempla nostris tempo-
rib⁹ abundè proh dolor prohibent testimonia.
Orandus Deus ut regat suo Spiritu appetitum
nostrum, ne plus desideremus quam natura re-
quirit, subigendum corpus & crucifigendum
cum concupiscentijs & desiderijs. Ebrietatis &
commessionis pœnæ variæ sunt & graves. Lu-
xui dediti in extremam saepè paupertatem inci-
dunt. Exemplo est filius prodigus. Adfert lu-
xus malam corporis dispositionem & ægritudi-
nes,

nes, vesaniam & imprudentiam, horribilia sce-
lera designans & flagitia. Tandem sequitur im-
pœnitentium potatorum æterna pœna. Si quis
itaq; hacten^o plus quam par est, poculis & com-
messationibus delectatus sit, maturè ad melio-
rem redeat mentem, frequentet assidue tem-
plum, ut ex verbo Dei remedia audiat contra
hoc vitium, vitet prava sodalitia, convivetur
rarò, faciat pedem suum prætiosum, quo mi-
nus ad cauponam sese conferat. Qui furatus est
inquit Apostolus, non furetur amplius, sed la-
boret manibus suis, utiq; qui compotationibus
est deditus & nihil operis facit, à furto haud lon-
gè abesse videtur. Qui non laborat, inquit
Apostolus, is nec manducet.

**II. Lætitiae spiritualis descri-
ptionem.** Requirit Apostolus colloquia sancta
& pia. Impleamini, inquit, Spiritu Sancto, lo-
quentes invicem in Psalmis hymnis & canticis
spiritualibus. Q.d. Apostolus, Ebrietas exitat ad
loquendum multa temerè & inconsideratè, &
quorū hominē postea vehementer pœniteat.
Herodes inter pocula operosè laudat Herodiadē
saltantem coram se, temerè & impie promittit
ei, pro hac levitate, quicquid peteret à se. Quâ
promissione ita se implicavit, ut etiam contra

propriam conscientiam, jusserit decollari S. Johannem Baptistam, quem alias libenter in multis audivit. Quia in ebrietate sua promisit hoc saltatrici, quæ edocta à matre pessima, petiit caput S. Johannis in patina sibi dari; Sed quis breviter preferre potest inconsideratos, temerarios, spurcos & turpes ebriorum sermones, clamores, vociferationes &c, quæ stultorum sunt lætitiae signa. Vult itaq; Apostolus docere aliam materiam colloquiorum in mutua conversatione, dum visitat alius alium, loquatur necessaria cum proximo. Deinde si loquendum est temporis terendigratia, aliquid ex sacris in medium proferendum. 2. Requirit Apostolus Psalmos hymnos &c, Si lætari velimus, dum tempus terimus, inquit Apostolus canendi Psalmi, hymni & spirituales cantiones; Hujus exemplum habemus in conventu S. Mariæ, Elizabetæ & Zachariæ Luc. i. Et si canere non licet sonora voce, in corde canendum Deo, inquit Apostolus 3. Requirit Apostolus gratiarum actionem ad Deum gratiarum actio & laudes dirigenda. Gratias esse agendas Deo dicit Apostolus & semper, vt cum vigilemus in quacunq; occasione, si non ore tamen corde. Gratias dicit Apostolus agendas pro omnibus Dei beneficijs,

ficijs, quæ à Deo nobis exhibita sunt spiritualia & corporalia, temporalia & æterna; Hæc sunt etiam quæ petimus in oratione Dominica. A^m gamus Deo etiam gratias pro omnibus rebus, non solum secundis sed etiam adversis. Ita David fecit Psal. 116. Calicem Domini accipiam & nomen ejus annunciabo. In adversis benè sperandum, dextra excelsi omnia mutare potest. Dirigatur gratiarum actio in nomine Domini nostri Iesu Christi ad Deum patrem.

L. C. i. Optimaratio lætandi traditur ab Apostolo in his verbis: implemini Spiritu Sancto, v. 18. 19. 20. sine omni sumptu sive ad emendum vinum, sive alias delicias magni prætij, neq; necessaria hic cantorum caterva, sumus ipsimet cantores pro modulo vocis, quem Deus dedit, nisi vox non sit adeo bona vel facilis, sit cantio nostra in corde, qui cantus & gratiarum actio placet Deo, non minus quam pre^oratio in corde latens & Deo notissima. Neq; n. Deus præscribit modum orandi certum in necessitate constitutis, sed quicquid divinus spiritus suggerit, pro auxilio & liberatione, ex præsenti periculo & incommodo; Dicit enim: invoca me in die tribulationis, exaudiam te. Nequè etiam præscribit modum gratias a-

gendi Deo, & illum laudandi, sed est contentus eo modo, quo operatur in pijs persuadere spiritum. David diversis formis ac modis DEUM laudat.

L. C. 2. In rebus adversis, in morte, in morbis clarissimorum, in amissione bonorum, in quovis etiam miserabili statu, Deo gratiae agendae, nam omnia cedunt Deum clementibus in bonum Rom. 8. Ita Job nuncio accepto alias satis tristi, de morte liborum repentina, de amissione ovium, taurorum, camelorum, servorum etiam, aegre quidem fert hanc cladem, sed mox recipit animum dicens: nudus egressus de utero matris meæ, nudus etiam revertar in terram, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

Clementissime Deus pater cœlestis, non emur cautè esse ambulandum & sapienter, intelligentes quæ sit voluntas Dei, oramus tuam infinitam bonitatem, ut ipse facilias nos & regas spiritu tuo sancto, ut tam salutaribus monitis parere queamus, & in hoc mundo tibi psallamus, & gratias agamus, ut post hanc vitam sine fine tibi laudes dicamus,

per

per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum & Spiritu S, vivit & regnat in secula seculorum,, Amen.,

Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, & honor & virtus & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum Amen. Apocap. 7. 12.

QUÆSTIONES

I.

An ille vere' fit sapiens,
qui rerum divinarum & humanarum cognitionem habet? Resp.

Rectè quidem à Philosophis hoc dicitur: Sed hoc in illis requiritur, quod sapientias authorem non agnoscunt: dum illa naturæ & suæ industriæ tribuunt, & quod humanas res h. e. honorem & gloriam suam divino honori & gloriæ, adeoq; omnibus divinis anteponunt: Quocirca sapiens Christianus is erit, qui rerum divinarum & humanarum tantum cognitionem, sibi a Deo donatam esse

esse cognoscit, ut quicquid in mundo cadu-
cum & terrenum est, æternis & cœlestibus
rebus postponat,

II.

An eodem sensu Paulus 2.
Tim. 3. v. 1. vocat tempora
periculosa, quo hic vocat dies
malos ? R. affir.

Sic quoq; appellantur in scripturis dies
salutis, dies perditionis, dies iræ &c. non
propter tempora, quæ à Deo bona creata
sunt, sed propter ea quæ in temporibus illis,
quibusdam hominibus accidentunt. Eadem lo-
quendi forma est à Christo usurpata Matr.

6. v. 34. sufficit suæ diei miseria
vel afflictio.

